

altera duarū summitatū d.e. Ideo eidem tempori nulla cōpetit
æquatio, & tota æquatio b q. subtrahēda erit motui medio, quia
datorꝝ intervallo temporꝝ octaua sphæra retrocessit contra zo-
diaci successionē quantitate segmenti b q. quod, vt patuit, tota
est æquatio posterioris temporis, manifesta igitur est pars se-
cunda quinti documenti. Sextum documentū. Si posteriore
datorꝝ duorꝝ temporū nulla contigerit æquatio, tunc æquatio
prioris temporis tota deducat medio motui octauæ sphæræ si
motus accessus & recessus pro eodem priore tēpore inferior
extiterit gra. 180. aut addat, si superior. Huius sexti documenti
veritas, vt euidentia quinti documenti demonstratur. Nam su-
per d.e. summitatū altera constituto capite arietis pro tempore
posteriore si idem caput pro priore tempore occupauerit semicir-
culum d.c.e. orientalem, velut in puncto l. octaua sphæra re-
cessit contra signiferi seriem quantitate totius æquationis b k.
eidem priori tempori competentis, ergo eadem æquatio k b.
tota erit deducenda medio motui octauæ sphæræ vt verus eius
motus emergat. Atq; econtra idem caput arietis pro dicto tem-
pore priore si occidentalem occupauerit semicirculū d.a.e. ve-
luit super signo r. tota æquatio b q. addenda est medio motui oc-
tauæ sphæræ, quoniā ipsa intermedio spacio datorum temporꝝ
progressa fuit iuxta signiferi successionē quantitate eiusdē to-
tius æquatiōis b q. priori tempori debitꝝ, vtraq; itaq; pars hui⁹
sexti documenti manifesta est. Liquebat igitur q; præmissis docu-
mentis plenissimus usus tabularū Alfonsi de motibus octauæ
sphæræ fuerit explicatus atq; ipsi veritati omni ex parte con-
sentiens.

¶ Corolarium primū.

Perspicuū itaq; fit ex iam demonstratis documentis æquatiōes non semper esse addendas medio motui octauæ sphæræ, et si motus accessus & recessus minor extiterit gradibus. 180. Nec semper auferendas ipsas equationes ex eodē medio motu augium stellarumq; fixarū quāvis motus accessus & recessus vicerit eosdem gra. 180. Cuius contrariū enarrationes Ioannis de Saxonia suorumq; sectatorū, atq; Georgii Peurbachii theo-
rica sentiunt.